



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1862**

CCCLXXXVIII. Erneuerter päpstlicher Consens zur Stiftung der Universität Frankfurt, vom 10. Mai 1507.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

CCCLXXXVIII. Erneuerter päpstlicher Consens zur Stiftung der Universität Frankfurt,  
vom 10. Mai 1507.

Julius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Honestis petentium, presertim alti sanguinis petitis, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis: Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum, nobilium virorum Joachimi, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, et Alberti, Marchionum Brandenburgensium, fratrum germanorum, nobis expositum, quod ipsi, in quorum dominiis erant plura oppida et alia loca insignia, nec non Ecclesie, Monasteria et beneficia Ecclesiastica etiam regularia, copiosusque tam Ecclesiasticorum, etiam Regularium, quam secularium nobilium et mercatorum, ac aliorum laicorum populi Numerus, cupientes ejusdem populi ac totius Reipublice dictorum dominiorum suorum statum prosperari, ac cognoscere, quod si in aliquo loco dictorum dominiorum ad id accommodo studium literarum vigeret generale, quamplures, qui literarum studio operam dare optant, ad locum ipsum pro acquirenda scientie margarita se conferrent et in ea non mediocriter proficerent, summopere desiderabant, pro vtilitate Reipublice ac incolarum et habitatorum dictorum dominiorum et aliorum illuc accedentium in eorum oppido Frankfurt penes Oderam, Lubucensis Diocesis, quod admodum insigne et populosum, ac ad id accommodum existeret et in quo vigeat aeris temperies et victualium vbertas ac habitationum pro studentibus commoditas, ceterarumque rerum ad humane vite usum necessariarum copia reperiebatur, erigi et ordinari studium generale in qualibet licita Facultate; Nos eorundem Joachimi, dicti Regni Archi-Camerarii, et Alberti, Fratrum, in ea parte supplicationibus inclinati, in dicto oppido generale studium, tam in sacra Theologia, quam in Jure canonico et civili, Artibus et Medicina, ac quavis alia licita facultate, in quibus, sicut in Parisiensi, Bononiensi, Senensi et Paduana, ac quibusvis aliis generalibus studiis, Ecclesiastici quecumque, quotcunque et qualiacunque beneficia Ecclesiastica obtinentes et laici Magistri et Doctores legerent et docerent, ac studere volentes vndeunque forent, studerent ac gradus solitos conferre et suscipere valerent, autoritate Apostolica ereximus et quod Episcopus Lubucensis pro tempore existens, esset vniuersalis studii hujusmodi Cancellarius, qui aut per eum vel sede Episcopali Lubucensi vacante, per dilectos filios Capitulum Lubucense, quoad id deputatus Vicarius, in qualibet dictarum facultatum commendabilis vite scholaribus, quos ad id Rector studii et regentes Magistri, siue Doctores facultatis, in qua graduari singuli postularent, seu major pars eorum idoneos reputarent, gradus solitos conferrent et illorum insignia exhiberent, de consensu Magistrorum et Doctorum eorundem et extunc illi, qui insignia hujusmodi adepti forent, licentiam haberent, tam in predicto, quam in quibusvis aliis studiis generalibus, absque aliquo alio examine, aut approbatione, legendi, docendi et cetera faciendi, que Magistri ac Doctores cujusvis studiorum predictorum facere poterant et quod ipse Cancellarius, seu Vicarius et qui pro tempore foret dicti studii Rector et Doctores inibi residentes, vocatis secum in competenti numero, prout eis videretur, de qualibet facultate aliquibus Licentiatis et scholaribus providis, dicti erecti studii, pro felici directione ejusdem studii, quecumque salubria et honesta statuta et ordinationes condere possent, statuimus et ordinavimus: Nec non omnibus et singulis Magistris, Doctoribus, Licentiatis, scholaribus et studentibus ac studere volentibus, ad ipsum oppidum accedendi et inibi legendi, docendi et studendi, ac gradus et insignia hujusmodi impendendi et recipiendi plenam et liberam licentiam concessimus, ac ipsis, pro tempore inibi regentibus et studentibus, ac qui gradus ibidem pro tempore recepissent, quod



ipsi et quilibet eorum omnibus et singulis prerogativis, privilegiis, preeminentiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, honoribus, favoribus, gratiis et indultis, per nos et predecessores nostros Romanos Pontifices et alia quavis etiam Apostolica aut alia Ecclesiastica vel mundana auctoritate, seu potestate, quovis modo, studiis prefatis concessis et ab eis emanatis, quorum omnium tenores pro expressis haberi volumus et quibus Parisiensis, Bononiensis, Senensis et Paduana et quecumque alia studia hujusmodi et in eis graduati scholares et studentes utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterant, quomodolibet in futurum uti, potiri et gaudere possent et valeant, pariformiter et absque vlla differentia perinde in omnibus et per omnia, ac si prerogative, privilegia, libertates et alia premissa eidem studio specialiter et nominatim concessa fuissent, concessimus et indulgimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.

Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte eorundem Joachimi et Alberti petitio continebat, ipsi pro eo, quod in dictis literis, quod postquam quondam Johannes, Marchio Brandenburgensis, eorum genitor tunc in humanis agens, a felicitis recordationis Alexandro Papa VI. predecessore nostro, studium ipsum erigendi et dotandi, modo premissis, sub dato quinto decimo Kalend. Junii, Pontificatus sui anno sexto, licentiam concedi obtinuerat et postmodum eo vita functo, Joachim et Albertus prefati, Apostolicis super concessione hujusmodi, ac nostris supradictis literis minime confectis, studium hujusmodi, quantum in eis fuerat, erexerant et dotem sufficientem pro Doctoribus, qui ibidem in diversis Facultatibus scholas et cathedras regerent, ac collegium Doctorum, qui scholares, qui debitos cursus peregissent, ad gradus in Facultatibus, in quibus operam dedissent et se dignos reddidissent, promoverent, insigniaque Doctoratus eis conferrent, assignaverant, quodque de facto, ac erectionis hujusmodi pretextu nonnulli scholares ad Doctoratus et alios gradus in facultatibus hujusmodi promoti fuerant, nulla mentio facta fuit, dubitent literas nostras predictas de surreptionis vitio notari, seque desuper molestari posse tempore procedente. His, ne propterea litere nostre predictae de hujusmodi surreptionis vitio notari valeant, providere volentes ipsorum Joachimi et Alberti in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et prefata auctoritate decernimus, quod litere nostre predictae, a dato presentium, valeant plenamque roboris firmitatem obtineant et eis suffragentur in omnibus et per omnia, perinde, ac si in illis, quod postquam dictus Johannes a prefato Alexandro predecessore erigendi et dotandi studium hujusmodi licentiam et facultatem concedi obtinuerat, ac postmodum eo vita functo Joachim et Albertus prefati Apostolicis super concessione, ac nostris literis hujusmodi minime confectis, studium hujusmodi erexerant et dotem sufficientem pro Doctoribus, qui ibidem in diversis facultatibus scholas et cathedras tenerent, ac collegium Doctorum, qui scholares, qui debitos cursus perfecissent, propter quod ad gradus in facultatibus, in quibus operam dedissent et se dignos reddidissent, promoverent insigniaque Doctoratus eis conferrent, assignaverant, ac erectionis hujusmodi vigore nonnulli scholares ad gradus hujusmodi alias rite promoti fuerant, expressum, litereque nostre predictae super studii hujusmodi erectione tunc expedite fuissent: Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, que in dictis literis volumus non obviare ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre voluntatis et decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Rome apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo septimo, sexto Idus Maji, Pontificatus nostri anno quarto.